

T2

*Andria* vv. 871-956**Un giorno felice e fortunato****Personaggi in scena****PAMPHILUS:** giovane innamorato di Glicerio**DAVOS:** schiavo di Simone**SIMO:** vecchio padre di Panfilo**CRITO:** cugino della cortigiana che si suppone sorella di Glicerio**CHREMES:** padre della fanciulla che Simone vorrebbe far sposare a Panfilo**PAMPHILUS, SIMO, CHREMES**

**PA.** Quis me volt? Perii, pater est. **SI.** Quid ais, omnium...? **CH.** Ah rem potius ipsam dic ac mitte male loqui.

**SI.** Quasi quicquam in hunc iam gravius dici possiet.

**875** **Ain tandem, civis Glyceriumst?** **PA.** Ita praedican.

**SI.** "Ita praedican"? O ingentem confidentiam!

Num cogitat quid dicat? Num facti piget?

Vide num eius color pudoris signum usquam indicat.

Adeo[n] inpotenti esse animo ut praeter civium

**880** morem atque legem et sui voluntatem patris

tamen hanc habere studeat cum summo probro!

**PA.** Me miserum! **SI.** Hem modone id demum sensti, Pamphile?

Olim istuc, olim quom ita animum induxi tuom,

quod cuperes aliquo pacto efficiundum tibi,

**885** eodem die istuc verbum vere in te accidit.

Sed quid ego? Quor me excrucio? Quor me macero?

Quor meam senectutem huius sollicito amentia?

An ut pro huius peccatis ego supplicium sufferam?

Immo habeat, valeat, vivat cum illa. **PA.** Mi pater!

**890** **SI.** Quid "mi pater"? Quasi tu huius indigeas patris.

Domus uxor liberi inventi invito patre;

adducti qui illam hinc civem dicant: viceris.

**PA.** Pater, licetne pauca? **SI.** Quid dices mihi? **CH.** At

tamen, Simo, audi. **SI.** Ego audiam? Quid audiam,

**895** Chreme? **CH.** At tandem dicat. **SI.** Age dicat, sino.

**PA.** Ego me amare hanc fateor; si id peccarest, fateor id quoque.

Tibi, pater, me dedo: quidvis oneris impone, impera.

Vis me uxorem ducere? Hanc vis [a]mittere? Ut potero feram.

Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me adlegatum hunc senem:

**900** sine me expurgem atque illum huc coram adducam. **SI.** Adducas? **PA.** Sine, pater.

**CH.** Aequom postulat: da veniam. **PA.** Sine te hoc exorem. **SI.** Sino.

Quidvis cupio dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.

**CH.** Pro peccato magno paullum supplici satis est patri.

**CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILUS**

**CR.** Mitte orare. Una harum quaevis causa me ut faciam monet,

- 905** vel tu vel quod verumst vel quod ipsi cupio Glycerio.  
**C.** Andrium ego Critonem video? Certe is est. **R.** Salvos sis, Chreme.  
**C.** Quid tu Athenas insolens? **R.** Evenit. Sed hincinest Simo?  
**C.** Hic. **R.** Simo... **S.** Men quaeris? Eho tu, Glycerium hinc civem esse ais?  
**R.** Tu negas? **S.** Itane huc paratus advenis? **R.** Qua re? **S.** Rogas?  
**910** Tune inpune haec facias? Tune hic homines adulescentulos  
 inperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis?  
 Sollicitando et pollicitando eorum animos lactas? **R.** Sanun es?  
**S.** Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?  
**P.** Perii, metuo ut substet hospes. **C.** Si, Simo, hunc noris satis,  
**915** non ita arbitrere: bonus est hic vir. **S.** Hic vir sit bonus?  
 Itane adtemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis  
 ut veniret, antehac numquam? Est vero huic credundum, Chreme.  
**P.** Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.  
**S.** Sycophanta. **R.** Hem. **C.** Sic, Crito, est hic: mitte. **R.** Videat qui  
 siet.  
**920** Si mihi perget quae volt dicere, ea quae non volt audiet.  
 Ego istaec moveo aut curo? Non tu tuom malum aequo animo feras!  
 nam ego quae dico vera an falsa audierim iam sciri potest.  
 Atticus quidam olim navi fracta ad Andrum ejectus est  
 et istaec una parva virgo. Tum ille egens forte adipicat  
**925** primum ad Chrysidis patrem se. **S.** Fabulam incepstat. **C.** Sine.  
**R.** Itane vero obturbat? **C.** Perge. **R.** Tum is mihi cognatus fuit  
 qui eum recepit. Ibi ego audivi ex illo sese esse Atticum.  
 Is ibi mortuost. **C.** Eius nomen? **R.** Nomen tam cito? Phania? Hem  
 perii! Verum hercle opinor fuisse Phaniam; hoc certo scio,  
**930** Rhamnusium se aiebat esse. **C.** O Iuppiter! **R.** Eadem haec, Chreme,  
 multi alii in Andro tum audi[ve]re. **C.** Utinam id sit quod spero! Eho dic  
 mihi,  
 quid eam tum? Suamne esse aibat? **R.** Non. **C.** Quoiam igitur? **R.**  
 Fratris filiam.  
**C.** Certe meast. **R.** Quid ais? **S.** Quid tu ais? **P.** Arrige auris,  
 Pamphile!  
**S.** Qui credis? **C.** Phania illic frater meus fuit. **S.** Noram et scio.  
**935** **C.** Is bellum hinc fugiens meque in Asiam persequens proficiscitur:  
 tum illam relinquere hic est veritus. Postilla nunc primum audio  
 quid illo sit factum. **P.** Vix sum apud me: ita animus commotust metu  
 spe gaudio, mirando tanto tam repentina hoc bono.  
**S.** Ne istam multimodis tuam inveniri gaudeo. **P.** Credo, pater.  
**940** **C.** At mi unus scrupulus etiam restat qui me male habet. **P.** Dignus es  
 cum tua religione, odium: nodum in scirpo quaeris. **R.** Quid istuc est?  
**C.** Nomen non convenit. **R.** Fuit hercle huic aliud parvae. **C.** Quod,  
 Crito?  
 Numquid meministi? **R.** Id quaero. **P.** Egon huius memoriam patiar  
 meae  
 voluptati obstarre, quom ego possim in hac re medicari mihi?  
**945** Heus, Chreme, quod quaeris, Pasibulast. **C.** Ipsa east. **R.** East.

- PA.** Ex ipsa miliens audivi. **SI.** Omnis nos gaudere hoc, Chreme,  
te credo credere. **CH.** Ita me di ament, credo. **PA.** Quod restat, pater...  
**SI.** Iamdudum res redduxit me ipsa in gratiam. **PA.** O lepidum patrem!  
De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes? **CH.** Causa optumast;  
**950** nisi quid pater ait aliud. **PA.** Nempe id. **SI.** Scilicet. **CH.** Dos, Pamphile, est  
decem talenta. **PA.** Accipio. **CH.** Propero ad filiam. Eho mecum, Crito;  
nam illam me credo haud nosse. **SI.** Quor non illam huc transferri iubes?  
**PA.** Recte admones: Davo ego istuc dedam iam negoti. **SI.** Non potest.  
**PA.** Qui? **SI.** Quia habet aliud magis ex sese et maius. **PA.** Quidnam? **SI.**  
Vinctus est.  
**955** **PA.** Pater, non recte vinctust. **SI.** Haud ita iussi. **PA.** Iube solvi, obsecro.  
**SI.** Age fiat. **PA.** At matura. **SI.** Eo intro. **PA.** O faustum et felicem diem!